

**Dissertatio medica inauguralis de morbis fibrae debilis et laxae ... /  
Eruditorum examini submittit Daniel Meadows.**

**Contributors**

Meadows, Daniel, 1707-1744.  
Burman, Pieter, 1668-1741.  
Rijksuniversiteit te Leiden.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Johannem Luzac, 1731.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vstev759>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

9 10

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
<sup>DE</sup>  
MORBIS FIBRÆ DEBILIS  
ET LAXÆ.  
<sup>QVAM</sup>

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. PETRI BURMANNI,

J.U.D. HISTORIARUM, GRÆCÆ LINGUÆ, ELOQUENTIÆ,  
POETICÆ, ET HISTORIÆ FOEDERATIBELGII IN ACA-  
DEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDI-  
NARI, UT ET ACADEMIÆ BIBLIOTHECARII.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
ET

*Nobilissimæ FACULTATIS MEDICAE Decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus &  
Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

DANIEL MEADOWS, Anglo-Britannus.


*Ad diem 10 Julii 1731.*  
*bora loquaque solitis.*



LUGDUNI BATAVORVM,  
Apud JOHANNEM LUZAC, 1731.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30778165>



**DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
MORBIS FIBRÆ DEBILIS  
ET LAXÆ.**

Partes corporis humani firmas dictas ex particulis olim fluidis, iisque *minimis*, *simplissimis*, *terrestribusque* conflari docet Phisiologia: quæ pro naturâ elementorum tales omnino sunt, ut nullo modo secundum trinam dimensionem dividi queant. Harum morbos duabus de causis non attingam; & quoniam præsentes detegi non possunt, & quod adeo perditam totius corporis rem ponunt, ut si quidem darentur, neutquam restitui posse videatur. Evincunt verò experimenta Chemica in corpore humano capta, quod ex hisce Elementis sibi mutuò vi vitæ, & ope glutinis, tenuissimi, aquosi, pinguisve applicatis, a orientur quæ fibræ andiunt; ex quibus membranæ, Vasa, reliqua porro omnia formari debent. Ipse fibræ debilis morbos, uti & quæ inde nascuntur vasorum; quotquot a merâ debilitate oriuntur, tractare decrevi: ad rem ipsam, Lectoris humanitate freatus, aggredior.

Fibram voco, partem quamcunque corporis humani firmam, ex elementis prius adunatis concretam: quæ neque in latum, neque in profundum findi potest, sola verò longitudine dividenda est: idque ipso facto, non tantum conceptu Mathematico. Has esse in ipsomet

Embryc-

a Boerh. Aph. 21.

A 2

## DISSESSATIO MEDICA

Embryone jam informatas, quæ tractu temporis debent evolvi; nemo, qui paulum modo in Physiologicis versatus fuerit, facile negabit. Hisce verò sic positis, earundem cohæsionem explicare non est difficile: quam quidem rem paucis proponere conabor, quoniam ad institutum meum quam maximè pertinere arbitror.

In fibrâ simplicissimâ, quæ modò ex elementis juxta longitudinem sibi invicem appositis constat, elementa media duobus punctis, extrema non nisi cum uno junguntur.

In membranâ simplicissimâ, quæ ex binis talibus fibris secundum latitudinem ad se invicem applicatis conflata est, elementa media tribus punctis, extrema non nisi duobus concreta sunt.

In membranâ, quæ ex tribus fibris nata est modo quem jam dixi applicatis, elementum medium quatuor punctis, elementa extrema fibræ cohærentis ad duas fibras mediae tribus punctis, reliqua non nisi cum duobus conjunguntur.

Quandoquidem verò nulla talis est in corpore humano membrana solitaria, quoad hactenus compertum est, omnes verò in canales convolvuntur: proinde in canali simplicissimo elementa omnia quatuor punctis concreverunt, demptis extremis; quæ non nisi tribus se mutuò tangunt.

Quintam in membranâ, ex canali compresso ortâ, elementa omnia media quinque punctis, extrema non nisi quatuor punctis sese contingunt.

Denique si membrana huic imponitur, (nec quidem ultra facile licet progredi) altero adhuc puncto contactus augebitur; & proinde omnia elementa media sex punctis, extrema verò quinque se mutuò amplexura intelligimus.

Ea namque fibrarum inter se cohærentium lex est comperta, ut nempe pro variâ earundeni tractione, quæ semper punctorum tactus rationem sequitur, magis vel minus firmiter aliæ cum aliis conjunctæ sint.

Vim verò istam, quâ fit, ut particulæ minimæ sibi ipsis adhærescant, omnino triplicem esse arbitror: Ut primò sit ea quæ ex glutine isto habetur, quod elementa quæque inter se apto modo connectit: Deinde, quæ, ex communii omnibus corporibus hucusque notis legi, orta est; quâ nempe duæ quæque particulæ certâ quâdam distantiâ positæ in mutuos amplexus ruunt, tamque arctè, quam possibile est, unâ junguntur: quam, si quis vim insitam vel propriam appellare vult, mihi perinde erit, modò de re ipsâ constet. Denique eam ad numero, quam contractionem violentam vel vim superadditam vocare possumus; quæ ex renixu, & repulso fibrarum musculosarum, omnirratione, vi liquoris intus distendentis, concretarum nascitur; de quâ deinceps pluribus agam.

Sic

Sic quidem a naturâ sumus comparati, ut quo propior quisque sit suæ origini, eo plura & teneriora habeat vasa: increvit enim (demonstrante Phisiologiâ) fibrarum vasorumque robur, prout vis est, quæ in ea incurrit liquorum; quæque iterum pro illorum robore evicitur: illud verò in vatis majoribus fit pro ratione liquorum a minoribus expressorum. Demonstrat verò Phisiologia, quod per vim vitæ actuosam canales minimi expressis suis liquoribus tandem membranæ fieri debeant, unde sensim, & constanti lege robustior quisque evasurus est, donec ad *anulus* pervenerit.

Facile verò patet, quod ratio vitæ & sanitatis aliam omnino partium solidarum conditionem in hac, quam in illâ ætate postulet: proinde fibrarum vasorumque debilitas & robur a relatione ad unumquodque corpus facta nominanda sunt: etenim si modò infans fuisset tam rigidis instructus fibris, quam est quispiam ætate adultâ, nunquam profectò pusilli corporis molem superasset; contrà si hic tam esset laxæ compaginis, quam ille alter, Hydropicum omnino videbamus.

Fibras verò nostras adeo ex se nexuit colligavitque providus hujus rei naturæ Author, tamque flexibles ex propriâ structurâ reddidit; ut cum ad incrementum corporis requireretur, ut paulò magis in hac quam illâ ætate ab invicem essent dimotæ, id ipsum sponte suâ sine ruptione pati possint. Haud aliter videmus fœminas, quæ ad ætatis *anulus* citius quam viri perveniunt, laxiori corporis habitudine gaudente; neque revera naturam ob id ipsum probri incusare fas est: Nos verò ipsi ab instituto suo eam perversè detorquemus.

Hisce sic positis, non ita difficilis fortasse res est fibræ debilitatem roburque dijudicare: quorum certè justa Definitio multam lucem postea dicendis fœnerabitur.

Omnis fibra quatenus cohærere dicitur, talem necessariò partium contactum ponit, qui separationi earundem repugnat. Distrahi verò fibra dicitur, quando vis quædam partes a contactu suo removere nititur. Resistentiæ verò momentum, quod huic distractioni adversatur, contractionem ejus vel elasticitatem vocare liceat; quæ, ceteris iisdem positis, pro momenti obnitentis ratione increvit, modò non fiat hoc ipsum ultra quam potest resistere.

Jam fibram debilem appello, cuius elementa tam parvo in cohaerentiam nisi inter se necontur, ut illâ vi solvenda sit, cui ferendæ par fuisset, modò fuisset sana. Laxitatem verò ita definio, quod sit ea fibræ conditio, ex quâ efficitur, ut facilius quam ad sanitatem requiritur, seipso longior reddatur; unde patet esse speciem debilitatis, & inde pendere immunitam Elasticitatem<sup>a</sup>. Rursus hinc liquet debilitatem,

laxi-

<sup>a</sup> Boerh. Aph. 29.

## DISSERTATIO MEDICA

Iaxitatemque fibrarum non nisi ex mensurâ impetus coercendi esse determinandas ; nam quæ liquoribus suis coercendis sufficiunt , nemo debiles vocaturus est.

Quin & Viscera , quoniam ex vasis , & proinde ex fibris demum sunt composita , earundem habitudinem omnino sequi debent : illa vero toti corpori sanitatem imprimis præstant , unde fit , ut cum hujusmodi debilitas contingat , pessima quæque mala oriri debeant . Hinc apparet quam latè patet , quamque utilis est ea doctrina , quam hic complector ; & quidem satis superque instituti mei ratio demonstrata est : itaque ne plura addam , ad causas debilitatis fibrarum , quæ etiam laxitatis nomine in sequentibus insignierunt , enarrandas meinet accingo .

Fibræ debilitatem *ex impedita ingestionis assimilatione in naturam liquidis vitalis sani*<sup>a</sup> oriri quandoque nullus dubito . Enimvero ad corporis debilitatem præcavendam opus est , ut tantum & tale in humoribus , solidisque , perpetuo restituatur quantum & quale per motus vitae perditum erat , quæ actio Nutritio dicitur.<sup>b</sup> Verissimum vero est , nos nihil sumere cibi potionis formâ , nisi quod a corpore alienum est : requiriaturque omnino corpus bene sanum quod in ipsius naturam ingesta transmutet , antequam nutrire possunt ; atqui multa ad hoc opus perficiendum requiruntur , quæ si deficiant , totum corpus ægrotare necesse est . Causas vero impeditæ assimilationis nunc breviter memorabo . Necesse est ut bonorum præsto sit corpori humorum copia , quibus recens sumpta possint permisceri : non enim aliter a naturâ humanâ subigentur , suam vero naturam nobis alienam retinebunt . Probant hoc saepius visa hydropis & leucophlegmatiae exempla , a nimis subita repletione , post sanguinis jaeturam profusorem ; eo quod partium solidarum vires fuerint jam ante nimis debilitatæ , vel quod liquor vasis corporis accommodatus elaborari non potuerit . Est vero & alia hujus mali causa , sc . ubi ea , quæ quis in corpus suum ingerit , tam sunt suæ indolis tenacia (quod quidem idem est , ac si vis corporis , quæ debebat ea subigere , nimis esset debilis ) ut in naturam humanam omnino deduci nequeant .

Quum tamen malum illud saepenumero inde oritur , quod elementa non satis firmiter alia ad alia applicentur , de hac re paulo fusi dicendum est .

Necessum est , ut vasa suæ elasticitatis resistentiâ humores debito modo exerceant , & vi satis magnâ propellant : quo vero omnium virium contrahentium summa major est , eo magis humores compri-

<sup>a</sup> Aph. 25.

<sup>b</sup> Boerh. Inst. 436.

primentur, prementque vicissim vasa; proindeque eo melior & promptior erit assimilatio. Demonstrant enim Physiologi, ex sero sanguinis multas mutationes passo, fieri illud subtilissimum, quod corpus debeat nutrire: nec esse satis, ut chylus bonus sanguini affundatur, sed ad eum ritè admiseri, omnesque vasorum vires experiri debere: unde manifestò liquet, quod hæ ipsæ vires cuique ætati accommodari debuerint, ut non modò bona fabricata essent elementa, sed etiam aptè inter se compacta. Hancce verò debilem nimium partis unius ad aliam applicationem, ut plurimum a defectu motùs muscularum ori-ri, ex quo fit ut liquores non satis fortiter moveantur, evictum fore credo, quando de hac re pluribus deinceps erit dicendum.

Denique, notissimum est, quod omne id a quo fibræ nostræ nimis laxæ redduntur, eas demum in eam habitudinem deducat, quā fit ut contractionem debitam amittant penitus, aut saltem non nisi post longam diem eam recuperent. Hæc facit nimia fibrarum Distraçio; cuius quidem rei exempla habemus a Pantomimis dictis, qui artus suos luxant, quandocunque volunt; sæpiissimè verò a Fæminis, quæ a quosis potionibus sese ingurgitantes summâ inde debilitate afficiuntur. Hæ sunt causæ omnes, quæ debilitatem solent antecedere; plures non esse, quis facile dixerit?

Pauca tantum quæ ad majora vasa pertinent, dicenda supersunt, quo natura hujus morbi magis perspecta habeatur.

Homo, quo tempore maximè crevit, firmas partes omnino tenerimas, easque minimâ copiâ, fluidas verò & vasa maximâ copiâ habuerit, necesse est. Nil enim in corpore ejus ex solâ partium appositione externâ natum est, omnia verò ab interno principio, per humores in vasa delatos, ex propriis locis protrusa crescunt: atqui vis humorum non aliter agit, quam quod vasa distendendo diametros eoram augeat: hoc verò fieri nequit in vasis majoribus, quin simul membranæ latera eorum contexentes comprimi debeant; eodem proinde tempore, eademque vi vasa minora erunt occlusa, penitusque exsucca fient, aut liquoribus suis concrescent. Sic quidem minor erit crassitudo, majus verò robur firmatis accrescit fibris: hoc verò omne unicè ex aucto contactu, non ut quidam imaginantur, ex minutâ liquorum copiâ oritur. Videmus equidem clarissimè ex naturæ instituto, quod quo diutius cor se contraxit, eo plura vasa aboleri debeat; præterea verò eosque fient inde robustiora, donec elasticitati suæ propria rigiditas offecerit.

Rationem vasorum, quæ, modo quo dixi, abolenda sunt, cuivis ætati convenientem quis definiverit; rationem verò quandam debere obtinere, nemo credo facile inficias ibit. Fateor illud non fieri nisi morbo vasis minimis compressis prius illato: veruntamen corporis sanitas hoc ipsum fieri omnino postulat, unde tutò colligere possumus,

quod

quod quæcunque sint, quæ faciunt, ut justò minus procedat hæc res, ea revera debilitatem in corpus inducere.

Effectus ex hoc morbo pendentes aut nullos fortasse, aut infinitos recensuisse oportuit: Ad rem enim quicunque animum advertit, totam fere morborum Diuturnorum familiam, facile ex hoc fonte derivare poterit. Hinc factum est, ut inter Veteres, Methodicæ sectæ corryphaeus Themison, uti & qui longè post eum medicinam hancce recoluit, Prosper Alpinus, omnes morbos a stricto & laxo oriri dixerint: & revera (quamquam morbi sunt ipsis humoribus proprii,) longè maximam partem inde oriri facile crediderim; & quidem imperio potitus est hic morbus, ex eo imprimis tempore, quo perversus ille mos potionis aquosas in nosmet ingurgitandi primùm invaluit.

Veruntamen primarios ejus effectus (quatenus instituti ratio patitur) memorare me non gravabit: sunt autem varii pro vario malo ipsius gradu, & quos facile prævidere licet. Fieri nequit, ut fibræ sint debiliores laxioresque, quin facilis vasculorum ex his conflatorum extensio sequatur; quoniam minutâ vi quâ vasa tese contrahunt, minuitur omnino vis quæ humores propellit. Hi verò cum vi canalium coerceri nequeant, facile accumulantur, tumoresque & obstrunctiones variis partibus creant: unde alia vasa debilia necessariò debent comprimi, inde tumescere, exinaniri omniaque in eo statu teneri, quo facillimè rumpenda sunt. Quin & ibidem stagnantes, vel denique effusos humores spontanea consequitur corruptio. Homo enim, qui debilissimus est, nunquam infra gradum septuagintum in Thermometro Fahrenheitiano calebit, cum tamen aeris externi calor qui est maximus, intra septuagesimum & octuagesimum ferè contineatur. Omnes præterea secretiones turbari, mutatâ figurâ, mutatâ sanguinis velocitate, & infinita, quæ ex iis pendent, mala quis non clarissimè cernit. Vide sis Clar. Boerhaavum in capite de Obstructione. Talia sunt: pallor, frigus; lassitudo, torpedo; summa motus inertia, imo fere ad minimum, suffocatio a resistentiâ cordi auctâ; sudores maximi; inflammatio frequens vehemensque; (quod forte mirum videtur) acrimonia humorum degenerantium, vasorumque ex hac causa nata erosio; & præterea infinita generis nervosi mala. Quid verbis opus est? omnis generis cruditates ex vitio omnium digestionis officinarum; omniumque corporis functionum depravatio. Plurima ex hic malis dicuntur morbi Congeniti vel a temperie orti, quos tantopere Galenici jactant, cum revera sint de hujus debilitatis prosapia.

Diagnosis habetur ex ætiologiâ morbi, & ex cognitis phænomenis effectibusque, quibus morbus definitur. Imprimis verò adesse cognoscitur, ex pallore quotidie crescente; tumore per corpus serpente, fri-

frigori adjuncto, respiratione parvâ citâque; pulsu debili & frequen-  
tiore. Ex quibus etiam morbi gradus, duratioque haud difficulter  
noscuntur.

Prognosis ex causarum prægressarum cognitione (& imprimis ex  
vitæ consuetudine) uti & ex signis morbo adhærentibus habetur; sic  
& Anamnesis mali facillimè patet.

Causis morbi enumeratis, ad Curationem aggredior; illa verò non  
nisi ex causarum remotione petenda est. Dixi varios esse debilitatis  
gradus, qui proinde variam inedelam requirunt: ponam verò, quo  
melius omne punctum feramus, hominem debilissimum, e. g. Lien-  
tericum ex merâ fibrarum laxitate: videamus jam qualis ea sit me-  
dendi ratio, quæ instituenda est.

Quandoquidem vires concoquentes quibus opus est ad humorem  
nutritium parandum, omnino hunc hominem deficiunt, fieri nequit  
ex ante dictis, quin citò corpus ejus diffluat, nisi aliunde auxilium  
comparatum est. Habetur verò si modò id ipsum in corpus ingerat,  
omnique modo insinuet prudens medicus, quod nutrimenti mate-  
riæ maximè complectitur. Imprimis minimè repudiandum est anti-  
quissimum illud consilium (quod in sacris scriptis memoratur) a ut  
nempe æger sub iisdem stragulis cum sanissimo homine concubat,  
eo proposito, ut tempore somni placidi, quando vasa maximè per-  
spirant, observante Sanctorio, ejusdem halitus materiâ nutritiâ divi-  
tes, in laxum, satisqne proinde bibulum corpus accipiat: vel in hu-  
jus locum (si deficit id genus auxiliorum) alia viva animalia non in-  
epte possunt subjici, variisque corporis partibus, uti libitum est, appli-  
cari. Horum vires ante satis edocetus erat Sydenhamus noster quam  
ea proponeret, quod in locis allegatis videre est;<sup>b</sup> nam omitto memo-  
rare varia, quæ apud Bellini, aliosque experimenta habentur, qui-  
bus hujusmodi medicina facile a contemptu vindicanda est. In victu  
præscribendo Lac primas tenet, utpote quod chylum jam vasis elab-  
oratum, & omne quod liquidius est, in se complectitur; hinc spi-  
ritus istos, magnâ copiâ, qui hîc adeo desiderantur: quamobrem optimum  
est quod corpus debilitatum reficiat. Lac Feminæ sanæ, etate integrâ, mo-  
tu salubri exercitata, victu laudabiliter, omnibus anteferendum est:  
fugendum vero post coctionem in Nutrice peractam, vel calidum illico bi-  
bendum. <sup>c</sup>Hujus vicem supplebunt Lac Asinum, Caprinum, denique  
Bubulum, quod certè vilissimum, minimèque ad nutriendum aptum  
est, propter copiam butyri materiæque caseariæ, quæ in eo deprehen-  
ditur:

a Reg. lib. 1. cap. 1. com. 2.

b Ed. Leidens. p. 67. 68. 77.

c Boerh. Mat. Med. p. 1.

### 3 DISSERTATIO MEDICA

ditur. Hæc omnia ita sumpta citò in venas transeunt, tenuatumque corpus miro modo recreant; lac verò non coquendum est, nam spiritus ejus a coctione diffatur, & ad massam incaseatam proprius accedit. Objiciat forte quispiam, lac obacescentiam suam in debilissimum corpus ingeri non debere; sed profectò nihil ab hac parte metuendum, nam quoniam ingestorum conditionem semper sequitur, possumus vel pro arbitrio Nutricem alere, vel demum id ipsum corriger, prout volumus. Si enim lac, quod Nutrix præbet, acidum sit, solo jure carnium utatur; si nimis tenue, vietu sicco; si nimis spissum, aquam puram potet; denique si salsum ammoniacum sit, & subputrefacat, solis cerealibus vescatur. Eodem modo lactis, quod est extra corpus animalis, effectus quos volumus, cavere possumus.

Enimvero Allium contritum laeti adjectum, quod Celsus suadet in morbo Coeliaco, acorem ejus vel præsentem corrigit, vel impedit quo minus tale quid accidere possit; & præterea quam optimè calefacit: vel & alia aromata, quæ forte magis ægris arrident, vel aliquid salis alcalini inspergi possunt. Sic lactis colostratio, admixtis Melle, aquâ, & sale, juxta præceptum Galeni <sup>a</sup> vitabitur, vel quod forte magis convenit, adjecto sapone veneto. Lac iterum quod nimis spissescit, aquâ diluimus. Dixerunt tamen veteres lac crassissimum maximè nutrire; sed in eo errârunt, si de omnibus hominibus ægris juxta ac sanis dictum voluerint. Cæterum videamus hoc alimenti genus ipsam naturam indicare: infantes enim quibus vires coquentes admodum sunt imbecilles, etiam in utero materno, & statim ac in lucem editi sunt, hoc commodissimè nutriuntur: si igitur accidit, ut homo ætate adultâ eð debilitatis proœctus fuerit, ut sit quasi talis infans; quid quæso obstat quo minus naturæ institutum recolat, eundemque vietum denuò resumat?

Ova similiter, hujusmodi ægris maximè prosunt; & quidem simplex ovi albumen in aquâ tepidâ flagellatum admisto parvâ copiâ Saccharo, si parum tantummodo unâ vice sumatur, dat ferè summum, quod haberi potest, remedium: namque materiam, isti, quæ nutrit, proximam in se continet; & ex eo, docente Chemiâ educitur, quicqnid in sanguine reperire est. Vitellus nutrimentum adhuc durius largitur: attamen prout ægri vires aut appetitus suadent; vel hic, vel illud, vel, ambo, cum laete & saccharo everberata, parvo interjecto aromate, concedi possunt: cavendum verò est ne ab igne ebulliant; sic enim coeunt, & ne alia dicam, talia evadunt, quæ ventriculo infirmo ægrius digeruntur.

Jura carnium tenuitate & liquiditate suâ proximè ad nostros humores

<sup>a</sup> lib. de Euch.

## INAUGURALIS.

res sanos accedunt; & quoniam spiritibus animalium, ex quibus extrahuntur, refertissima sunt, ideo commodissimè his ægris exhibentur. Generosissima omnium fiunt in machinâ Papinianâ: hæc, ab omni pingui supernatante, fæcibusque depurata, & aquâ multâ diluta, optimum nutrimentum præbent: plerumque verò aliquid salis marini, aut succi aurantiorum, vel citrei iis admiscemus; tam ad gratiam saporis conciliandam, quam ad cohibendam illam, in quam sponte inclinant, patredinein: similiter flores calendulæ; folia thymi; Origanii; porri; minutum icissa iis adspergere maximoperè ex usu foret: Meracissimi vero juris, quod Galli *consommé* vocant, in curando hoc morbo, nulla ratio habenda est; hujusmodi enim jus validissimis ferè visceribus domari nequit, multò minus imbecilliores id concoquunt, qui gravissimo Asthmate inde usque vexantur. Ideo dilutius hauriendum, ajiter vias obstruendo potius nocet, quam quod facilè in venas ingressu citissimè nutrit.

Decoctum Viperarum summoperè celebratur, èd quod corpus atrophicum quam maximè reficiat; imprimis verò, ubicunque Jain jam in acidum vergit, quod ferè semper his hominibus contingit, haud parum prodesse videtur. Huc quoque referimus decoctum Cancrorum fluvialium; & gelatinam C. C; quæ prudenti usu, tum nutrimenti, tum medicamenti gratissimi partes sustinebit.

His annumeranda sunt, quæ dicuntur Panificia, ex pane optimè fermentato facta. Iis spissitudo quam volumus facile conciliari potest: præterea vel lacte vel juscule &c. pro re natâ diluuntur: vel decoctis hujusmodi parum Macis, aut Cinnamomi adjungere non erit inutile; si vero pauxillum succi Aurantiorum, & Vini Rhenani annosissimi simul permiscuerimus, omne fere punctum tulisse videamur.

Vina autem (quod hic loci memorabo) *austera*, *acerba*, ut *Florentina*, *Gallica*, ut *Greca nigrescentia adstringenti sapore prædicta*, a in quibus aliquid panis bis-cocti maceratum est, maximè in hos usus celebrantur. Sic generosissima ista, uti vinum de Palmâ, *Cannariense* &c. subinde parciter hausta summo sunt usui: hæc enim tum inertiores fibras vellicando, tum calorem instaurando, totum corpus exhilarant, reficiunt; & uti Horatius aptissimè loquitur:

*cum spe divite manant  
In venas, animumque.* <sup>b</sup>

Huc referimus vinum *Hispanicum dictum*; cuius *liberaliorem hæsum horâ somni, aliquot noctibus propinatum, robustiorem universi corporis habitum reddidisse hysterici nonnullis observavit Sydenhamus:* <sup>c</sup> *faltem*

<sup>a</sup> Boeth. Mat. Med. p. 3.

<sup>b</sup> Epist. XV. lib. I.

<sup>c</sup> Ed. Leid. 412.

## DISSERTATIO MEDICA

faltem ad nauseam , vomitumque tollendum , quæ sœpissimè huic morbo se adjungunt , multum valuisse deprehensum est. Proinde vi-  
num Viperinum Londinensium vel ob eam causam non parvi facio :  
denique Cerevisiam Brunswicenam nullo modo aspernor , utpote  
quæ opportunè data mirabilia quandoque soleat præstare.

Postea quam æger hisce rebus , nec non exercitiis deinceps propo-  
nendis eosque facit usus , ut viribus modicè refectus sit ; sen-  
sim magis sicco firmoque cibo poterit adstringi : debet verò esse  
levis , quique facilimè concoquitur. Hic panis bis-coctus modico  
sale contactus mihi præ omnibus arridet ; qui adhuc melior erit , si  
antequam fermentetur , admista fuerint aromata , veluti Crocus , semi-  
na Coriandri , Comini , &c ; ovi vitellus , parumque sacchari : de quibus  
ad finem hujus dissertationis fusius dicam. Hoc solo commode nutrie-  
tur æger , donec ed prœceptus fuerit , ut carnem sine noxa possit cape-  
re. Levissima verò est Caro tenella , imprimis assa , & optimè ventriculo  
sedet ; hinc aliis quibuscumque anteponenda est. Præcipue verò conve-  
nit cibus ex Cancris fluvialibus probe assatis desumptus. Potio interim  
exigua admodum , sed generosa esto , optimisque aromatis ditata ; impi-  
rimis si corporis imbecillitas in hydropem vergit . convenit præser-  
tim quæ ex cerevisiâ vetustiori habetur. Cæterum aquosa , imprimis  
calida ; pinguia , saccharumque , quantum potest fieri , evitentur ; quo-  
niam hæc omnia corpus debilitant. Adde , quod si medicus ægro sua-  
deret , ut id genus eduliorum sumat , quod facilimè perspirat (de qua  
re vide Sanctorum in sectione tertiarâ Aphor.) nec is repugnet , res to-  
ta melius adhuc votis responsura sit. Attamen fatendum est ,  
quod nusquam magis ægrorum genio debeamus obsequi , quam dum  
in hac curatione versamur ; quod dixit Aretæus in *Capite* quod inscripsit *de curatione Stomachicorum*. Quæ quidem præcipua fuit ratio quæ  
me impulit , ut tam multa in primâ parte hujus argumenti propone-  
rem ; quod eo animo feci , ut si forte quid minus ægris hujusmodi ar-  
rideret , esset tamen in aliis progrediendum. Sequuntur pauca , quæ  
rationem viætis imprimis exhibendi spectant , quibus alia quædam sub-  
nectam , quæ ad hujus argumenti calcem rejicienda duxi.

Tota curatio , quatenus ex nutritione debitâ pender , modum omnino  
respicit , quo quæque res ægro suppeditantur. Maximum quoad hanc  
rem arcanum est , ne quid nimia copiâ simul in ventriculum ingera-  
tur. Namque hi homines , quibus omnes digestionum officinæ ma-  
ximè sunt depravatae , illud ferre nequeunt : etenim nimia partium e-  
rit tensio , proindeque major inde superveniet labefactatio ; nimisque  
negotii visceribus parum valentibus faceſſendum iri clarissimum est.  
Imprimis verò Lienterici ventriculus malâ copiâ solicitatur. De-  
bemus enim omnino concipere hoc ipsum , quod sit ille tantummo-  
do vas , quod cibum potionemque &c. excipit , parumper retinet , si  
qui-

quidem hoc potest, certoque caloris gradu sovet. Et proinde recens ingesta, ubi non praeterea est bonorum humorum copia, quae cum iis commisceri possit, solidarumque partium vigor deficit, citè corrumpuntur, corpusque tantum replent, nutritre nequeunt: dum interim febres & pessima mala saepissimè excitantur. Quinetiam saepius contingit (ut obiter id dicam) homines ventricum debilitari ex eo, quod vel sani vel minus rectè valentes nimium cibi potionisque in se ingurgitaverint: nil restat agendum, quam ut ingerendorum copiam prudenter minuant; sic enim ventriculus non amplius vexatus, ipse firmatur, cajus, ut medicus poeta canit,<sup>a</sup>

— — — *Validus firmat tenor omnia membra.*

Itaque multò felicius ægro res cedent, si in initio saepius, admodumque exiguum cibum potionisque sumit, nec plus quam unciam unam aut sesqui-unciam in ventriculum unâ vice ingerit. Illud enim propter parvam ejus copiam facilis ad valvas intestinorum retinetur, digeriturque (si modo aliquam mutationem in assumta queat inducere) dum interea corpus ægri a tantillo non gravatur. Contrà vero artis parum gnati, omnem eam copiam quam intra viginti quatuor horas ægros suos haurire volent, duabus vel tribus vicibus propinant. Viætus quo simplicior, eo melior, & ad concoquendum facilius: esca dubia omnino vitanda est: eâ enim varietate ingestorum omnia sanis etiam perturbantur, & si fidem habeat Horatius.<sup>b</sup>

*Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum  
Lenta feret pituita.*

Præterea Observatum est a Sanctorio: tempus esse minoris perspirationis, quando Stomachus plenus est, & præcipue varietate eduliorum.<sup>c</sup>

Condita omnia duabus de causis Stomacho imbecillis inutilia esse pronuntiavit Cellus; quoniam & plus propriæ dulcedinem assumitur, & quid modò par est, tamen ægrius concoquitur.<sup>d</sup> Attamen, ut ut hæc res se habeat in iis hominibus, quibus ferè restituitur bona valetudo; illa conditio quam supra proposui, neutquam rejicienda est: ventriculo enim resoluto, lenocinari debemus, ut parum modò proficiamus; prætereaque hujusmodi auxiliis pervellendus est. Quin & his de causis maximè prodesse videntur condita, quæ ex muriâ salis marini cum pinguibus consociata parantur. Idem suadet hos: *Ut quicquid assumperunt, potionē aquæ frigidæ includant:*<sup>e</sup> & quidem si ventri-

<sup>a</sup> Q. Ser Samon. cap. xviii.

<sup>b</sup> lib. 2 Sat. 2.

<sup>c</sup> Aph. Sec. 3 Aph. 52.

<sup>d</sup> lib. 1 cap. 2.

<sup>e</sup> loco cit.

culus tantummodo debilitatus fuerit, nec aliæ partes adeo trahantur, summo jure aqua frigida post pastum adhibetur; cæterum dubito an ita conveniat: sanis utique hominibus potio quam maximè commoda esse videtur, nec convalescentibus neganda, modò ingluviem illis non excitet.

Dicit quoque alibi: quod *in omnibus Stomachi vitiis præcipiendum sit, ut quo modo se quisque æger refecerit, eodem sanus utatur: nam reddit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defenditur bona valetudo quibus reddita est.* <sup>a</sup> Ex quibus nos monuisse videtur, ne facile credamus hujusmodi hominibus adeo restitutam esse bonam valetudinem, ut ea, quibus olim assueverunt, tuò possint deserere: nil verò impedit, quin, simul ac confirmata sit sanitas, quisque liberius vivat; imo verò debet alio modo vivere, ne contrario vitio urgeatur.

Verum, quoad ægri cibatum per totum curationis decursum, regula hæc unica spectetur; *Ut labor ita cibus esto: habitâ simul ratione anni tempestatis, præsentis morbi gradus, ægri ætatis, vitæque pristinæ.*

Aer in quo æger versari debet, quam maximè temperatus eligendus est. Calidior nimis rarefacit, movetque omnes humores; quamobrem, corpori ubi liquores in vasis stagnant, ijsve effunduntur, citamque corruptionem admittunt, non potest non plurimum obesse. Aer austrinus, nebulosus, opotque qui corpus maximè solvit, vitandus; sic & pinguis, ambustumque imprimis redolens; propter id quod expirationem præfertim pulmonum impedire videtur. Aer frigidior, ventosusque, ob easdem rationes fugiendus est; siccus verò & frigidiusculus omnino eligendus. Ægri corpus, sive vigilet, sive dormiat, vestibus bene munitum sit; nec unquam lectum frigidum, aut linteal non probè calefacta petat. Somnus quo diuturnior & pacatior, eo melior; hinc si aliunde non veniat, opio conciliandus. Sunt præterea, qui autores sunt, ut hujusmodi ægri in straminibus bene exsiccatis jaceant; utque culcitæ & pulvinaria, in quibus recumbunt, foliis menthæ crispaæ &c. loco plumarum infarciantur; eo animo, ut virtus illorum ad imbecilla corpora recreanda eliciatur: denique ut vestibus laneis interius induantur eodem prorsus modo, uti rachiticis infantibus imperatum est. Nec quidem in iis refellendi sunt, ubicunque imprimis corpus non modò pallet frigetque; sed etiam maximè tumet ex pituitæ sive aquæ mole aggestâ: uti in virginum chlorosi & incipiente hydrope fieri videamus. Hi homines mordentia ante ortum solis, postque ejus occasum, frigora sollicitè evitent; quoque maturius lectum petant, & mane iterum surgant, eo melius in dies se habebunt. Acriora cujuscunque rei studia, animique affectus tristes cavendi. Venus pariter fugienda.

Miretur forsan quis, me superius in vietu Lienterici constituendo, tantum ferè ea, quæ sunt liquida, in auxilium adhibuisse: quæ quidem eā de causā rejici debere videantur, quoniam ex suā naturā minus sunt apta, quæ in corpus ingerantur, quod nihil ferè potest retinere: ideo tamen hæc ipsa sual, quod talis ponebatur casus, ubi vires, quæ debebant ingesta concoquere, jam ante fuerant deletæ; quamobrem omne id quod erat simplicissimum, proximèque materie nutritiā scatebat, primò desiderari visum est.

Proinde si corpus ex merā debilitate redditum fuit penitus hydropticum; nil forte melius in ægri commodum potest statui, quam ut præcedentibus utatur; donec vires paulum refecerit, ut Chirurgiam, si modò fieri possit, admittat, uti & victum sicciorem, aliaque, quæ ad medelam hancce requiruntur. dura adeo necessitas hanc legem nobis præscripsit. Fatendum verò est, quod in Lienteriā verā, propter summam tum ventriculi, tum intestinorum laxitatem, parum admodum vel hujusmodi auxilia sèpius proficiant; quia nil ferè ad vasā absorbentia apprimi potest, dum interea quidquid assumptum est corpori subducitur. Si tamen vitam hisce sustentare possimus, expetandum est, ut ex junctis omnium remediorum viribus, aliquid boni interim eveniat: aliter si hæc deficiant nos, balneis enematisque subsidia imperanda sunt. Hæc Lectorem præmonere debui; jam ad alia transeo.

Sæpius homines ex eadem causā tantā copiā pituitam generant, ut non modò primas vias, sed & sanguinem obruat. His inani industriā jam ante dictā suppeditans, prius quam mucus ille, qui aditum ad vasā Lactea imprimis præcludit, auferatur: qui ergo solvi debet tam citò quam fieri potest, solutusque expelli ope remediorum, quæ vi detergere pollent, quæque simul vias hasce æquè roborant ac expurgant. De his vide sis quæ ad finem dicta sunt. Perperam vero illi faciunt, qui potionibus Caffè, Thè, ægros ingurgitant; vires enim morbi inde adaugent, et si præsens aliquod miseri solatium præbeant: hæc ergo nunquam admittenda sunt, nisi ubi repentinæ opitulationis necessitas inciderit. Quæcunque verò, Cacochymiae, vel Cachexiae dictæ, species debilitati se adjunxerit; eam propriis remediis debellare oportet, eodem ipso tempore, quo fibram roboramus; si quid diversæ curationis sibi vindicet.

Veruntamen scopum suum adeo non attigit medicus in suppeditando bono nutrimento, ut certè operam oleumque perditurus sit; nisi vasa chylo sanguinique elaborandis dicata, omni ratione roborare nitatur; ut ex bono chylo bonus exsurgat sanguis. Hoc verò aliter fieri nequit, quam fibras rigidiores efficiendo, illis iterum conciliatā suā vi elasticā: his enim factis, cætera omnia votis responsura sunt. Agi-

## DISSERTATIO MEDICA

te, videamus, quānam huic proposito quā maximē conducant.

Perspirationem impeditam, debilitatem in fibras inducere clarissimē patet: itaque primō summā ope niti decet, ut perspiratio quam optimē procedat. Quandoquidem verò perspiratio optima eam vasorum humorumque conditionem omnino ponit, ex quā circuitus maximē æquabilis fit, omnesque pori æquā potestate se contrahendi pollent; eamque ex corporis roboratione peti debere apparet: in hanc rem quā maximī momenti est, statim me converto.

Primas facile tenet, totoque curationis decursu plus minusve vasorum humorumque motus major instituendus est; sit vero ex *Frictione*. Dixit Hippocrates: Omnis pars quā magis calet, &c. plus liquorū ad se attrahit, & in alio loco: Infirma corpora si vis nutritre, debes frictione evocare nutrimentum in partes: quā quidem verissima esse, ab usū compertum est. Eadem fere dicit Celsus in *Cap. de Frictione*. Utrique consonat Verulamius, qui mane factam præcipue laudat. Frictio facit, ut vasa humoresque se invicem premant; hæc erat naturalis ista actio, quā deerat: hanc restituit & confirmat frictio. Namque sanguinis venosi motum ad cor accelerat; cor inde crebrius se contrahit, hoc est sanguinem suum expellit, h. e. crebriorem vasorum viscerumque in eum facit renixum: atqui majorem in toto corpore calorem, quætamque deinceps, ab applicatione fortiori, fibris rigiditatem; & quæ sequi debent, inde oriri novimus. Nec dubitate alio modo possumus, quin circuitum humorum augeat frictio; quandoquidem per hanc soiam frigidissimo lentissimoque corpori febrem maximam conciliari posse sumus edocti. Hinc vero patet, non esse cujusque hanc ritè dirigere, & pro re natâ moderari; sed prudentis medici tantummodū atque in arte exercitati: non enim omnis, omnique modo instituta conveniet frictio. In summo debilitatis gradu lenissima requiritur, nec diutius facta, quam ut corpus paululum modū inde calefaciat; eo consilio, ut perspiratio, neutiquam sudores, promoveri possint: nimia vero debilissimo corpori vim infert, pulmonesque opprimit. Imprimis verò hic loci adhibenda est frictio, quoniam æger in domo concluditur, nec alia exercitia potest instituere: quæ quidem nostra felicitas est, ut ad quemcunque rerum statum hujusmodi Medicinam aptare possumus. Audiamus vero Sanctorium: *Iis*, qui crudis succis reserti sunt, frictiones non convenient: & quidem nimis incitant, propelluntque humores minus ad fluendum aptos, in vasa, quæ majorem motum facile non ferunt, si sine prudenti moderamine institutæ sunt: cæterum non valet objectio. Frictio in orbem maximē requiritur; quod si tantummodū cor versus facta est, nimia humorum mole illud obruimus: si modū sursum deorsumque imprimitur, nimis violenter eos in venas repellimus: utrāque ratione nocemus. Adhibeantur verò in initio, panni molliores

res lanei, siccii; aut Spiritu vini, vel vino quodam roborante paululum madefacti: hisce ter quaterve in die manè imprimis & vesperè pertricentur omnia corporis loca, quibus accessus datur; simul partes pilis obfitas pectendo: idque potest fieri spatio quartæ partis horæ, aut diuidiatæ, prout Medicus id requiri videt. Nam profectò, ut Celsus optimè dicit in *capite de frictione*: *Non audiendi sunt qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus sit: Id enim ex viribus hominis colligendum est.* Quotiescumque verò, corpora pituitosa maximè aut aquosa tractamus; præstat forte semper (si modò facile id ferant) panis asperis, calidis, siccis, Gummi Benzoin, Labdani, vel Succini, Thuris, Mastiches, Olibanive fumo vaporatis, atque ante focum frictiones adhibere: hac enim ratione calor partibus aquoso languore fermè emortuis instauratur, perspiratio restituitur, humoresque ibidem hospitantæ dissipantur. Utilitates verò frictio (ut paucis complectar) has adfert; quod fibram laxam certo certius stringat, & quod naturam maximè debilem deducendo sanguini in loca debita jam patrem reddat. Ideo verò potissimum hic loci adhibenda, quoniam multò tutius circuitum humorum incitat, quam ea medicamenta quæ intra corpus recipiuntur. Qui plura de hac re vult, audeat Celsum in *cap. de frictione*, & Galenum qui tanti frictionem fecit, ut integrum de eâ librum conscripserit.

*Gestatio* hisce morbis convenit, quoties ægri vehementiora exercitia nec tolerare, nec obire possunt; quæ tamen multiplex est, & pro re natâ præcipienda. Gestationes lenissimæ sunt in Cymbâ, super aquam stagnantem; vel ut Celsus ait in portu, vel in flumine; denique in sellâ, aut carpento optimè pensili lenissimèque tructo. Debet verò hæc ipsa diutius proferri; tunc verò solummodò perspirationem mirificè evocari autor est Sanctorius <sup>a</sup>. Gestationem *in curru omnium violentissimam*, idem pronuntiat: *eò quod non solum perspirabile incoetum expirare facit, sed etiam quia solidas corporis partes, & maximè renes offendit* <sup>b</sup>. Sunt tamen habendi quidam hodierni currus, ut notissimum est, qui proprius ad lecticarum speciem accedunt; illi verò qui maximè succutiuntur, repudiandi sunt. Gestationem navi, in alto mari, adhuc vehementiorem esse putat Celsus. Profectò hocce genus vectionis miros toti corpori ciet motus, turbatque imprimis compaginem nervosam; quod patet ex vomitionibus æruginosæ bilis, saepius hoc tempore excitatis: quæ quibusdam etiam capitis læsionibus vulneribusque adjunctæ sunt. Attamen, in Phthisi longam navigationem, si vires patientur, proposuit Celsus. Certissimum quidem est aerem omni fere momento tunc temporis renovari: perspirationem

verò

<sup>a</sup> Aph. sect. 5.<sup>b</sup> loco citato.

verò inde maximè augeri vel ex eo patet, quod homines sic vesti solito magis edere atque bibere soleant, cum tamen alvus longo tempore non solvatur. Nec dubito quin pluribus hominibus cacockymia afflictis, debilibusque profutura sit navigatio; quatenus corruptos humores foras eliminat, siccisque vaporibus eos opponit; si modò finit imbecillitas. Præstat forte aliter juxta litus sella vel carpento vehi; quod quidem corporibus, quæ aquâ redundant, quatenus illa sicciori auræ subjicit, imprimis convenire videtur. In Cæliaco ventriculi morbo gettationem vel inter Lauros vel Myrtos aut Thymum laudat Aretæus Cappadox: quidquid verò id sit quod tentamus, anni tempestatis, ægri virium & idiosyncrasie ratio habenda est. Qui verò videre vellent, quid antiqui medici de hujus utilitate senserint, adeant Celsum in *Capite de Gestat.* & Oribas. in *collect. medicin. cap. XXIII. XXV.*

*Equitatio*, inter antiquissima, quæ celebrantur remedia, habetur: namque Chiron Achillis Præceptor ideo Centaurus dictus erat, ut nonnulli putant, quod exercitiis in equo factis morbos curare imprimis conatus est. Pulcherrima hujus effecta in morbis gravissimis sanandis aliquoties vidimus, ubi medicamenta quæque, cæteraque auxilia frustrâ erant adhibita: ne verò infinita memorem, videantur tantum ea quæ magnus Sydenhamus de efficacitate ejus ad Tabem ex hac debilitate ortam, Phthisinque curandam dixit. Magnas equidem mutationes revera facere quis dubitat; quum enim aer pondere suo totam corporis superficiem, imprimis verò pulmones tunc temporis vehementius premit; sc. pro ratione quadratorum velocitatis suæ, uti demonstrat Hydrostatice: major inde vis nascitur, quæ sanguinem mutat, uti ex Physiologicis notissimum est; proindeque validior & frequentior vasorum humorumque in se mutuò reciprocata vis erit. Quin & ex eo, quod corpus equitantis nunc sustollatur, nunc iterum in sellam decidat; omnia imprimis abdominis viscera moveri, premi, viresque vasorum totius corporis augeri debere, ex ipsius elasticitate facile colligimus. ex quibus efficitur ut homo ex talibus exercitiis adeo perspiret. Hinc sponte liquet, quod ope hujus Gymnasticae ad summa exercitationum pertingere liceat; cum tamen equus pro arbitrio incitari vel retardari queat, & quoctunque passuum numero finire possimus; omne punctum inde facile feremus. Patet verò, quod in maximâ debilitate, ubi vires totius corporis omnino fractæ sunt, hujusmodi tentamina vel levissima sumi non posse. Magna saltem hujus rei cura habenda est; namque constitit, tales homines sæpenumerò ab equitatione vasa pulmonum rupisse, & denique Hæmoptoe aut Empyemate fuisse extinctos: cæterum ubi ullo modo fieri potest, nunquam vel in summis angustiis desperandum est. Debet verò diu, fin-

singulis fere diebus, pro virium ratione aliquid tentari: donec eō roboris provectus fuerit, ut longiora itinera emetiri possit; quod ipsum fieri oportet. Equitatio Stomachum præcipue firmare credita est: certissimum utique est, vectionem hancce coacta resolvere, laxastrin-  
gere; esse aquabilem, nec vires corporis dispergere; quod quidem incommodi cætera hujusmodi ferè omnia plus minus adferre solent.  
*Equitationem toluntantem saluberrimam, succassantem in saluberrimam*  
pronuntiat *Sanctorius*.<sup>a</sup> Evidem a posteriori motum toti corpori, viscerumque imprimis concussionem vehementiorem conciliari facile videmus; propterea ubi a tali motu metuitur, hanc aggredi res esset cum ridicula, tum etiam maximè periculosa: talem vero motum multoties desiderari nemo non videt. Sic quidem pauca modo quæ ad haric rem spectant, generaliter notavi; fin vero B. L. plures adhuc gestationum species, & cuinam parti imprimis roborandæ unaquæque inservit, scire velit; ablegandus est ad Mercarialem de arte *Gymnasti-*  
*cā*, aliosque qui hocce argumentum ex professo tractaverunt.

Balnea apud posteriores tum Græcos, tum Romanos ad omnia fere mala celebrata fuisse accepimus: calidas vero lotiones præcipue ad voluptates luxuriamque; frigidas ad sanitatem referri solitas notissimum est. Hisce morbis frigidam potissimum convenire putat Celsus: is enim Stomachum resolutis suadet, ut *canalibus frigidis Stomachum ipsum*,<sup>b</sup> magis etiam a scapulis id quod contra Stomachum est, subjecere; consistere in frigidis, medicatiisque fontibus, frigida perfundi; atque in eadem natura velint. Idem frigidas perfusiones ad intestinorum levitatem utiles esse refert. Huic sententiæ frequens nostratum experientia suffragatur, qui Rechitidem sævissimam hujusmodi balneis adhibitis domari, corpusculoque maximè debilitato vigorem restitui multoties viderunt. Sunt tamen nonnulli, qui ad hosce effectus curandos, calida lavacra laudant, suamque sententiam argumentis colligant. Hæc quidem neutriquam usurpari debere quis putet, ideo quod meatus corporis nimis laxent, totumque humectent; unde morbus radicari videatur: illa vero repudiari, quatenus nimis fortiter exteriora stringendo, motumque violentiorem ad interiora ciendo; iis quibus obstrunctiones diuturnæ contigere, vel quorum viscera Muco vel Tabe fere diffluunt, plurima mala adferre posse videntur: morbosque quibus propter imbecillitatem sunt obnoxii, uti Diarrhæam, Colicos dolores &c. sæpins provocare. Adde, quod balnea immersionis non modò nimia vi vasa oinnino premant, sed pressione inæquabili nimis violenter humores superiora versas propellant. Evidem res est aleæ periculosæ plena, summâque prudentiâ opus est, ne in turpissimos errores inci-

<sup>a</sup> Sect. 5.<sup>b</sup> lib. 4. cap. 5.

damus; multa quippe s<sup>e</sup>pius ante desiderantur, ut corpus ægri bene præparatum sit, quam tutò balneum experiri potest: præterea causæ morbi, ægri virium, anni tempestatis, ipsius regionis ratio habenda est. Hodie in plerisque frigidioribus imprimis Europæ regionibus in desuetudinem abierunt: quod si balnea revocari debere quispam judicaret, dantur multiplicita quæ pro re natâ præcipienda sunt. Vel enim frigida petantur; vel calida, quæ Aromata optimaque adstringentia in se receperunt; vel denique tentet æger aquas istas calidas sulphureas Bathonienses dictas, quas præ omnibus ad contumacissimam debilitatem laudat Sydenhamus. Curandum verò ut vacuo corpore, nitidèque prius detersa cute excipientur; quin & adjungenda frictio est, ut si quæ soluta & expedita fuerint quæ prius obstruktiones pariebant, jam liberè fluant, lenissimèque omnia moveantur. Unctiones verò postea adhibitæ, quas adeo necessarias nonnulli putant, mihi non arrident; imprimis quia plus minus perspirationem semper prohibent, in quâ promovendâ hic maximè desudascitur: saltem non tam ad sanitatem recuperandam quam ad tuendam facere videntur. Attamen, unctiones cum oleis aromaticis, amaris, quatenus illa insinuant se in corpus, ut pituitam incident, solvantque, caloremque augeant, possunt prodesse. Unum tantummodò verbum addam, priusquam hanc rem dimittam: nempe, quod omnino distinguere debeamus ea quæ debilitatem ipsam directò emendant, ab iis, quæ modò auferunt quæcunque iter ad curationem obsepiunt. Contingit enim hac ratione multoties ea convenire, quæ corpus debilitant potius quam firmant, quod unicuique artem Medicam callenti satis evidenter patet.

Jam quidem eò usque deducta res est, ut Exercitia Corporis debeam proponere: hæc nusquam non adhibenda, dum vires sinunt; utpote quæ omnibus desideratis satisfaciunt, quæque omnino ægrocoldenda sunt; si modò suæ sanitatis curam gerat. Non potui verò aliâ, quam generali doctrinâ, in hisce exponendis uti; nisi & Lectori tædio esse, prorsusque extra limites dissertatiuncula evagari voluisse. Itaque quæ in genere fibræ debilitati succurrunt, forte quis hic inveniet; subtilitates verò harum rerum, tum si quid hanc illumine partem proprius spectat; id certè ex suo quisque ingenio, aut ex authorum lectione debet eruere.

Veteres Medici corporis exercitia in omnium ferè morborum curationem adhibuerunt: adeo ut Asclepiades in febre acutâ incipiente eam instituerit, uti narrat Mercurialis in *arte Gymnastica*: in quâ tamen te maxime erravit. Ego verò laudes, & infinita iis tributa præconia silentio premens, pauca tantum in medium proferam, quibus utilitates horum demonstrare conabor.

Imbecillitas præcipue urbanis, literarumque cupidis contingit, observante Celsō: qui plerumque aut otiosam aut sedentariam vitam agunt: sive negotiis diligentius quam par est, domi incumbentes, sive ex tædio & inappetentiâ operis suscipiendi nil omnino molientes. Hisce omnibus longa quies corpora ægrota & sibi met gravia conciliat; tum quia in corpore retinentur, quæ excerni debebant; tum quia requisita assumptorum concoctio non fit.

Verissimum quippe est, quod ignavia corpus hebet, labor contrafirmet: namque iis hominibus corpora sunt inepta ad omnia vitæ officia præstanta, quæ solent præstare viri constantes, strenui; qui busque

*Integer ævi  
Sanguis, . . . Valideque suo stant robore vires.* a

Quod quidem hisce de causis sit; & quoniam ex toto vasa justo laxiora sunt, & quod humores in propriis vasis coerceri nequeunt; & simul sepiissimè redundant. Quod si B. Lectori videtur ea repetere, quæ in principio hujus disputationis præfatus sum; liquidò patebit, quod cuique ætati solidarum partium, respectu humorum definita quædam compago deberetur; quæ quidem tempore quo in utero materno conclusi fuiimus, erat omnium laxissima; procedente verò ætate, plus in dies in contrariam partem vergebat; quæ tum ex strutturâ corporis deduximus. Hinc facile collendum est, hominem esse animal aptum natum ad motus animales exercendos; eumque debere laborare: aut cum laboris necessitas inciderit, in morbos proclivem esse. Ne quis ergo miretur amplius, eos qui comedunt, bibuntque, nullis legibus sese obligantes; nec interea motum muscularum exercent pro ratione suæ ætatis: brevi inde pinguescere, languere; cæteraque mala quam plurima experiri, quæ ex hoc calamitatum nostrarum fundo solent oriri. Verum motus muscularum omnia assimilant; perspirabile ad exhalandum præparant; quicquid denique superfluit, foras eliminant; quod imprimis de pinguedine corporis dictum vellem: quæ fere non nisi muscularis impenditur, qui ex naturæ instituto erant movendi. Quoniam verò musculi circa magnas venas semper ponuntur, non possunt illi moveri, quin fricentur venæ; inde humorum circuitus incitatur, calorque augetur: hinc est quod hujusmodi exercitatio maximè corpus roboret, meatus stringat, elementa ritè compingat, & ad habilem vigorem membra reducat. Ne verò in his longior sim; ope hujus, isti debilitatis spe-

a Virg. Æneid. lib. 2.

ciei, quæ a nimis debili applicatione partis unius ad aliam oritur, imprimis occurrimus; quæ quidem, ut omnium latissimè patet, sic & curatu difficultima est; utpote quæ plerumque lentè increscendo vires suas acquirere solet, omni certè remedio sèpius majores.

Inter varia, quæ instituuntur, exercitia, adversæ valetudinis cauſa, a debilitate ortæ; præcipuum locum sibi vendicat ambulatio. Hæc variis modis intendi, aut leniri potest; non enim tantum in campis, sed & in clivosis, & arduis locis descendere atque ascendere, modò planis, modò asperis, modò arenosis licet: uti ait Cœl. Aurel. de morbis Chronic. Imprimis illa convenit, quæ tum adscendendo, tum descendendo peragit; (quia varietate quâdam totum corpus movet) nisi perquam imbecillum est. Frigida humidaque corpora optimè hancce exercitationem ferunt: iisque summoperè prodest, quibus inferiores corporis partes frigent, tumentque; quod illis hominibus contingere videmus, qui corpus nunquam ferè exercent; & simul diutius, quam par est, pedibus infistunt; ut nonnulli in studiis excodiendis perperam faciunt. Enimvero tunc temporis idem fit ac in nimio somno: venæ scilicet ad extrema implentur, inque medio exhauriuntur; ideo quod sanguis cor versus neutiquam promovetur. Curabant Veteres harum rerum peritissimi, ut debilissimi homines inter Myrtos, Laurosque, aut aromaticas & bene olentes herbas Thymum, Majoranam, Mentham ambularent; ut vires eorum benignissimæ inter ambulandum cum iis possent communicari. Deambulatio vero matutina, posteaquam frigus paulum remisit, ventriculo non prorsus jejuno, nec repleto, imprimis bona est: lenis frictio non male præcedit, optimèque eam claudit. Convenit quoque post pastum exigua ambulatio; idoneo tempore interjecto; quod novus chylus adhuc melius elaboretur, & citius ad sanguinem deferatur: aliis quineuam temporibus prout res ipsa patitur. Et quidem non adeo facile quis in eo potest errare, si modò morū ipsius, loci, cœlique curam gerat, ut omnia juxta ægri vires fiant: utique impossibile est ullam dare regulam, quæ in quemque rerum statum aptè quadrabit. Quod si rogaret me quispiam, quoisque exercitatio hujusmodi promovenda est? haud aliter forte rectè responderim, quam jubendo, ut ad levem defatigationem æger se exerceat; vel eousque ut si pauclo plus se movere pergeret, sudores debeant erumpere; sic ut corporis vires neutiquam inde frangantur, aut mens in tristitiam deducatur; sed utrumque sit erectum. Cavendum vero imprimis, ut postea a frigore optimè defendatur. Atqui facile ex ante dictis colligimus, quod debile corpus multum roborare valeat ambulatio, morbosque a debilitate functionum certo certius orituros propulsare: nec sine jure ad corpus hac ratione exercitatum transferimus quod de Famâ Maro dicit:

*Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.* \*

Præterea corpori naturalis maximè est, & vel eo nomine nobis se commendat; attamen hoc habet incommodi omnis ambulatio, quod vires corporis ultimò dispergat; ex quo fit, ut nisi priorum auxiliorum usus aliquamdiu præcesserit; unde corpus paulò roboratum est: debilissimis hominibus non adeo conveniat: Qui plura de hac re vult; adeat Mercurialem *de arte Gymnasticā*, & Hippocratem in lib. 2. *de Dieta*.

*Cursus* iis prodest, quorum saluti exsiccatio & calefactio magna conducunt, si modò vires finunt; hinc in *Hydropis* sanationem a Celsō adhibetur; idem velle videtur Horatius, quando dicit:

*Si noles sanus, curres Hydropicus.* b

& revera hunc morbum, uti & plerosque frigidos affectus eradicat; quatenus fibras nimis laxas stringit, ex quâ causâ fere semper oriuntur.

Cantus, loquela, recitatio altâ voce, equitatio imprimis debilem pulmonem confirmant.

Quid memorem saltationem, oscillationis, disci, pilæque exercitia; halterum jactus; rusticæ vitæ labores; & infinita id genus, quæ ad certa membra roboranda apud authores proponuntur: hac de re præcipue consulendus est Mercurialis *de arte Gymnasticā*, quo nemo forte eleganter magis atque acutè scripsit. Sic equidem varias Gymnasticæ utilitates ad fibram debilem roborandam dixi, eamque pro dignitate suâ laudavi; nec dubitandum est, quin homo ab affido hujus cultu ex summâ debilitate ad nimium roboris facile preventurus sit. Liceat tamen pauca quædam his adnectere, quibus difficultates quæ circa hanc rem fortasse oriantur, tollere; eamque medicinam in tuto collocare conabor.

Omnino exercitia hujusmodi bona, vel mala sunt; pro modo quo adhibentur, suâque aptitudine ad illud vitiorum genus evelendum; cuius gratiâ instituuntur. Quin & curatio hoc fundamento nititur, ut cuique malo apta detur exercitatio; adeo ut debilissimus homo violentam statim experiri non debeat, ullive diu incumbere; verum a levissimâ incipiendo, ad acriorem diuturnioremque tensim devenire. Vism quippe est, varias obstrunctiones, gravesque, quod mirum est, inflammations in hisce corporibus ab imprudenti hujus usu

fuisse

a *Aeneid.* lib. 4.

b Lib. 1. Epist. 2.

fuisse natas. Convenit itaque in initio, tantum leves motiunculas tentare, quia modum excedere hisce quam maximè periculosest: nimirum in motu violento corpus minus perspirat, quoniam a sudoribus expulsis maximopere turbatur. Audamus Sanctorium: *Exercitium violentum a corpore cibo vel crudo succo referto, aufert pondus sensibilium excrementorum minus solito, insensibilium ferè nihil.*<sup>a</sup> Et in alio loco: *Exercitium violentum, ubi spirat ventus, malum.* Rei vero rationem dat in alio Aphorismo: *A vento adiapneustia: a motu acrimonia.* b Haud verò aliter quam in exercitiis instituendis, qualia, sic & quanta tentemus videndum est; idcirco suaderem ægris, ut nunquam ad ultimas vires, vel lassitudinem, se exerceant; sed in moderata, ubi perspiratio optimè procedit, exercitatione consistere velint. Præterea addendum habeo, iis maxime cavendum esse, ne solita exercitia ipsi interrumpant: quoties verò homines temerè, & sine consilio hisce oblucentur; toties corpora adeo labefactant, ut postea vix vitæ sustinendæ absque assiduo medicamentorum usu, vita quoque exquisitiore pares sint.

Verum inter se discrepant Authores, respectu temporis quo ægri sunt exercendi: alii enim dixerunt æstate potius quam hyeme corpora exercenda esse; alii hyeme & vere plusquam æstate & autumno; hi exercitationes pastum antecedere debere volunt; quod alii repudiant; illi statim sequi malunt, quod rursus perniciosum maximè esse alii statuerunt: quin & nonnullis una hora, aliis altera magis arridet. Multa præterea subtilia differunt, quæ apud rei Gymnasticæ scriptores passim videre est.

Clarissimè tamen intelligitur, plurima sæpius requiri, affectus aliquius debellandi gratiâ, quæ non tam ad sanitatem tuendam apposita esse videantur. Cæterum sponte patet ex ante dictis, non esse rem aut parvi momenti, aut captus facillimi, ita hæc instruere & ordinare; ut non nimia sint quæ nocere possint, aut talia quæ effectibus desideratis destitui debeat.

Est verò aliud quid adeo non contemnendum, ut potius quam maximè necessarium aliquoties videatur. Fasciarum applicationem volo; quæ quidem licet vilissima res sit, affectus tamen contumacissimos solet domare. Etenim Leucophlegmatia, dirusque Hydrops his auxiliis sæpius cesserunt, ubi viscera nulla ante labe erant correpta: nec quidem aliud in summâ debilitate, toto corpore præ humorum stagnatione torpente, tutò tentari potest; antequam partes pauci fuerint firmatæ.

Equidem curationis initium semper ab his prudens sumet medicus, ubicunque ex debilitate humores luxuriare viderit; quoniam

<sup>a</sup> Sect. 5. Aph.

<sup>b</sup> Ibid.

semper faciunt, ut vasa liquorum suorum impetum sustinere possint, nec interea movendo nocent. Præterea, quatenus vasorum distractionem minuant, robur iis conciliant, quod melius repellant humores suos, expellantque; unde nimirum extensionis effecta certissimè prævertunt. Attamen, in initio, levissimâ fasciâ corpus vincendum est, ut tantummodo sit aliquatenus compressum, neutquam præ constrictione gravatum; augenda verò compressio, prout vires ægri increscunt: quod commodissimè fieri potest ope machinularum quæ in hos usus facile construuntur. Observanda verò potissimum hæc res est, quotiescumque aliquis atrocior diuturniorque affectus inciderit. Visum quippe est, a violentiori humorum repulsione, nobilia viscerâ fuisse maximè oppressa; & si non inde fuerint homines necati, saltem in discriumen vitæ fuisse adductos. Cœterum, ex cauto harum usu vasorum maxime debiliū eousque vires intendimus, ut humorum impetui coercendo pares sint; adeo ut, qui prudenter has admovere norunt, efficiant quocunque volunt.

Jam postquam vietū materiem, & præterea Gymnaſticam ordinē proposuerim; restat, ut aliud remediōrum genus tractem, quod ex medicamentis habetur, quæ intra corpus recepta fibras constringendo faciunt, ut firmior sit earum cohærentia, quam ante fuerat. Quæ proinde vim augent, quâ blandum illud nutrimentum, quod ante descripsi, vasis absorbentibus melius apprimatur; quæque vasa, quæ sanguinem elaborant, adeo roborant, firmantque, ut chylum, vires primarum viarum auctiores jam passum, ritè in eum transmutare queant. Adstringentia volo, quocunque titulo insigniantur; si ve sint quæ humores densant, & solidas partes simul fortissimè strinquent; vel quæ modò fibras ad contractionem irritant, ex quâ humores velocius circumagi debent; unde eadem effecta, sed tardius oriuntur.

Prior classis medicamenta acido-austera dicta complectitur, quæ imprimis ex vegetantibus, ex fossilibus quoque petuntur: inter ea quæ ex prioribus habentur, eminent succi inspissati Acaciæ veræ, & Germanicæ; Hypocistidis; Cydoniorum; nec non Mespilorum immaturorum. Succus Acaciæ veræ cœteris meritò præfertur, ubi summa adstringētiō desideratur.

Atqui magnâ prudentiâ opus est, & ad tempus definiendum, & ad copiam quæ maximè convenit determinandam. Præstat per exiguae admodum exhibitiones incipere, copiam augendo, prout illud faciendi opportunitas nascatur. Hominibus adultis facile datur Acaciæ veræ succus a gr. I. ad IV. singulis binis horis, vel ternis, formâ, quæ aliis præfertur, pilularum; tensim adscendendo, donec in ea mole terminetur, quæ maximè placebit. Observatum tamen est, quod majori quantitate sumpta, vomitum ciere soleat; qui exiguâ opii particulâ

ticulâ adjectâ facile cavetur. Succus Hypocistidis, vel solus formâ pilularum, commodissimè assumitur a gr. xi i. vel xv; corpus majori copiæ, si videbitur, lentiè assuescendo; vel & pilulis Gummiosis eâ mole potest admisceri, ut ad singula binarum, triumve horarum spatia gr. iii vel iv. debeant deglutiri. Mespila, vel in substantiâ, ut ajunt, vel æquali saccharo in conservam redacta, adhuc libentius capientur: tuncque Conservæ hujusmodi dr. ss aut etiam dr. i. singulis binis ternisve horis deglutiri potest. Cydoniorum immaturorum sive succus recens pressus, sive miva; eaque vel simplex, vel vino diluta deatur; res fere eisdem recidit. Præcipua hujus classis medicamenta memoravi, quibus sua laus, suaque pericula tribuenda sunt. Quoniam enim hæc, quæso, agunt, nisi quod omnia quæ tangunt, constringant; exsiccant, & denique perspirandi impotentia reddant; unde pori minuantur, liquoribusque expressis fibræ ad se mutuò plus accedunt, & robustiores evadunt: sic verò totum primarum viarum tractum adstringi posse, nemo cum ratione potest dubitare.

Nec quidem ultra pertingere crediderim, (nisi valde sint diluta, quo tempore non aliter quam ut leviora adstringentia agunt) quoniam ex suapte naturâ sibimet aditum ad venas lacteas præcludere eviduntur. Rem verò satis feliciter sic se habere judico, quoties mecum reproto, quam inconsultò ægris suis hujusmodi medicamenta fortissima porrigeret solent Medici imperiti; statim ac adstrictionem requiri viderint. Optandum sanè foret, ut non adeo temerè primum locum, in curatione horum morborum instituendâ, hisce Medici concederent; eaque cane pejus & angue caverent, ubicunque obstructio viscerum major vel natâ est, vel nasci incepit. Fatendum tamen est, quod, si Diarrhœa atrocior ex hac fibrarum laxitate orta, curationem retardaret, omnisque conatus eluderet; ad Acaciam illico confugiendum sit: quæ, ferè æquè ceriò, ac cortex Peruvianus Febres intermittentes, hasce profligare solet.

*Acido-austera fossilia* prudenter admodum ingerenda sunt; namque summa vi quæ polient, (cum plerumque ore assumuntur) totum primarum viarum tractum illico constringunt; inde verò longe pejus æger se habet: quoniam interiores illæ partes exsiccantur, & nutrimento debito fraudantur, dum exteriores adhuc flaccidæ manent. Itaque hujusmodi medicamenta dilutius haurienda sunt, quinetiam insuper perexiguâ copiâ, brevibusque temporum intervallis.

Prioribus mitiora sunt, sed quæ iisdem usibus inserviunt; cortices Granatorum, Capparidis, Tamarisci, arboris Peruanæ; quæ omnia vel in substantiâ dantur, vel formâ decoctionis, vini medicati, conservæ; aut conditi, simplici saccharo aliisve optimis aromatibus adjectis. Eò referimus flores Balaustriorum; radices Bistortæ, Pimpinellæ Sanguisorbæ, Tormentillæ, Rhabarbarum leviter ustulatum; denique

Tili-

Tincturam G. Laccæ: in quibus omnibus inconsulto propinandis, non tam largiter, quamquam & in his nimium, peccare possumus. Horum verò prudenti usu, nimia humorum liquiditas tollitur; primæ viæ roborantur, quin & cæteræ procul dubio paulatim fitinabuntur. Dixi Medicamenta adstringentia, quorum viribus fibræ nostræ contractæ maximè, & solidæ statim redduntur; jam proponam ea quæ majori calore motuque corpori conciliatis eadem præstare nituntur. Sunt verò duplices generis; vel quæ acerrimo aromate gaudent, vel quæ ob mitiorem virtutem magis plerumque placent. Priora convenient, ubi simul cum debilitate summâ, ægri maximoperè frigent, & aquosi sunt; hæc enim calore undique diffuso partes vaporant, suâque acrimoniâ tardas pervellunt.

His usibus infervit modò dicta Camphora, formâ pilularum ad gr. ij. vel iij. singulis ternis quaternisve horis data; idque vel sola, vel cum aliis ad rem facientibus conjuncta. Eodem recidunt radices Camphoratae; uti Zedoariæ, Cyperi longi, & rotundi in aquam aut vinum, aut Spiritum vini infusiæ: radices Imperatoriæ, Gentianæ, Galangæ, Contrayervæ, Serpentariæ Virginianæ, Zingiberis conditæ; quæ vel crudæ manducari, vel in pulverem redactæ, conservæ Absinthii similive misceri; vel cum syrupo conveniente in hanc formam redigi possunt. Eò referuntur Tinctura corticis Wjnterani; Tinctura aurea Rulandi, bulbi Ari recentis, eâ copia sumptâ, ut purgare nequeant; quibus denique Sales tam fixos, quam volatiles oleofos, Balsamaque dicta adjungo. Attamen, non sine magno periculo, Medicamenta quæ tam violenter humores movent, in corpus quis ingredit, quod aliquâ viscerum labe laborat. Et præterea omnino notandum est, quod si maximè calefacientia debilissimis hominibus propincentur, nec aiunde nimiæ eorum virtuti prospectum fit; tota sua vis in ventriculum ferè agat, unde Cardialgiæ, Singultus, pessimaque symptomata excitantur. Hinc necessum quoque est, ut quando lenitos humores hisce flagellare visum est, humectantibus nociva acrimonia contemperetur. Mitius aroma præbent summitates Absinthii; folia Menthæ, Majoranæ, Rorismarini; radices Enulæ Campanæ, Acori, Angelicæ, Eryngii; baccæ Lauri; flavedo corticum Citri & Aurantiorum. Et ne plura dicam, Allium imprimis ad Stomachum excitandum celebratur: quod tanti equidem fecit Hippocrates, ut solum hoc ex Oleribus in Pituitâ albâ probet; omnique modo comedendum laudet. hujus pariter miram virtutem recitat Sennertus. Commodissimè verò hæc, & similia, formâ conservæ, similive dantur; unde non tam citò ex ventriculo elabentur, sed moras longiores ducent. Quo verò melius infantibus, qui ore plerumque nolunt assumere, eadem suppeditare possimus; Linimenta & Unguenta eâ copiâ ingrediantur, ut simul ratio corpusculorum omnino habeatur.

Maximè verò mihi arrident, utpote quæ omnibus numeris absolu-  
ta videntur, illa Medicamenta, quæ non modò leniter firmas partes  
stringunt, sed fluidas eodem tempore stimulant; & ad aptum motum  
deducunt. Talia sunt: imprimitis folia Myrti; in quibus gratissimum  
aroma unà cum amicâ vi adstringente inest; hinc in morbis Virginum,  
Chlorosi, similibusque affectibus maximè laudantur, unde forsan  
Myrtus Veneri sacra dicta est. Dantur verò formâ infusionis, vini  
medicati, aut levis decoctionis, namque hanc quodammodo ferunt.  
Virtute suâ inferiores sunt baccæ, seu myrtilli dicti; cæterum viribus  
non absimiles. Huic ordini jure summo adscribitur Cinnamomum;  
quod vel crudum sumendum est, vel quod vasis accuratissimè clausis  
in aquam tepidam infusum est. Frustrâ verò ab Aquâ Stillatitiâ, sive  
Oleo vim adstringentem, subtilius aroma a decoctione optâris; nisi  
in Phialâ altâ Chemicâ facta fuerit: quod si aromaticæ partes integræ  
desiderantur, frigidâ infusione optimè servantur. Potest crudum vi-  
nis medicatis adjici, vel & ejus Tinctura ex vino quovis molliore  
cochleatim aptissimè hauritur. Eò referri possunt nuces Juglandum  
immaturæ, & radix Caryophyllata, quam in aquam aut vinum com-  
modissimè quis infuderit. Præterea eadem illa adstringentia, unà cum  
aromaticis, formâ Cataplasmati, Fotûs, &c. variis partibus corpo-  
ris applicare, haud parum proderit. Horum Aretæus, in *capite de Stomachicis & Diabete*, & adhuc clarissimus in *capite de Cæliacis*, mentio-  
nem fecit; & virtutes maximè laudavit. Similiter, sacculum ex flo-  
cis Carmosinis in vinum austерum infusis, in quod infusa fuerint Myr-  
tus, & cortex Citri, & parum Croci, super Stomachum perpetuò ge-  
stari probat Verulamius <sup>a</sup>. Conveniunt pariter Emplastrum Stoma-  
chicum magistrale, oxycroceum, e baccis Lauri, e Cymino; Stoma-  
cho, regioni Umbilici, & spinæ Dorsi admota. Ubi verò major  
calor requiritur, emplastro Stomachico magistrali ad unc. ij vel iij  
sumpto, dr. i. aut ij Camphoræ in oleo Terebinthinæ tritu solutas  
admiscere præstat; quod quidem ventri infimo applicatum, Diarrhoeas  
aliquoties sustulit, quæ validissimis adstringentibus nullo modo tolli  
potuerant. Constat equidem, quod ratione Camphoræ, quæ egre-  
gias, quas habet, vires aromaticas in corpus diffundit, resolutis parti-  
bus calorem instaurare debeat. Vel in eundem finem, Fotum ex  
Tincturâ G. Laccæ, aquâ Salviæ dilutâ, quæ pauxillam Camphoram  
in se recepit, adhibere possumus. Denique Epithema ex Spiritu quo-  
dam composito (qualis est Spiritus Lavendulæ comp. Matth. Lon-  
dinensium) pane tosto excepto, vel ipsâ Theriacâ, cordis scrobiculo  
subinde pro re natâ admovere juvat.

<sup>a</sup> Hist. vit. & mort. oper. 5.

Dixi verò antea, requiri aliquoties, quando Curationem hujus morbi quis aggreditur, ut cæteris omnibus Medicamenta præmittat illa, quibus vitiosos humores expurgare vel & vias lenta Pituita oppressas liberare queat. In illud propositum aptissimè quadrant Gummi saponacea aromatica, qualia sunt: Gummi Ammoniacum, Galbanum, Aſa-fœtida, Bdellium, Sagapenum, quibus Myrrha adjungi potest. Eò referimus Saponem Venetum, vel Hierosolymitanum, vel Sapientum bili admistum; denique Aloen Lucidam, vel solam, vel prout in Elixir Proprietatis habetur. Hæc omnia non tantum lentum viscosumque solvunt, & corpore expellunt, sed ventriculi & intestinorum inertiarum succurrunt. Præcipue verò hunc scopum attingimus, usu saponum istorum unà cum Myrrhâ, Aloë & Croco electis: quæ omnia commodissimè Balsamo Copaibi vel Peruviano in pilulas effinguntur, ut ad aliquot grana, singulis binis, ternis, quaternisve horis sumantur, prout res ipsa loquitur.

Cavendum verò sedulò, ne purgatio istiusmodi nimis promoveatur, (ex quo sæpius ægri morbo minores e medio sublati fuere) sed potius ad firmandas vires citissimè pergendum est. Imo sæpiissimè leve Vomitorium ex Ipecacuanhâ præmisisse votis satisfecit.

Unum adhuc restat nimis magni momenti remedium, quam ut locum hic desideret; Ferrum volo: quod prudenter datum, cum paulum confirmata fuerit corporis habitudo; summum ad fibras roborandas, humoresque densandos, quod haberi potest, auxilium præbet. Clarissimè illud videre est in Virginibus maximè Leucophlegmaticis, quæ statim ab hujus usu, & pristinas vires & colorem recipiunt. Necessum verò plerumque est, ut priora excipiat; quoniam debilissimis hominibus viæ ferè semper muco obsidentur, quo vis hujus haud parum obtunditur.

*Aqua Ferratæ, imprimis æstivo sicco tempore, salubri aëre maxime laudandæ: quarum virtus ut Sydenhamus ait, tum ob insignem quantitatem quâ hauriuntur, tum etiam ob earundem cum naturâ convenientiam, intimius sanguini permiscetur, & potentius morbos expugnat, quam Ferrum quo cumque demum artificio nobilitatum.* His tutò miscetur Lac, nec inde ullo modo coit.

Proximos his occupat honores Ferri nativi simplex rasura, quæ vacuo ventriculo, horulâ ante pastum commodissimè datur. Infantibus gr. i. bis terve interdiu sumpsisse sufficiat: homines vero adulti scr. ss. imo gr. xv. facile ferunt. Quin & Lac huic superbibere licet, si commodum videtur. Quod si Ferrum tegere visum fuerit, parum Cinnamomi, Myrrhæ, Corticis Winterani adjecisse non nocebit. Hicce modus exhibendi Ferri potissimum eligendus videtur, quotiescumque contingit, ut acidum primis viis dominetur: aliter solutionem ejus in Vino Rhenano, aut Cerevisiâ generofissimâ præ vetustate

## 28 DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

paulum acescente prætulerim.

Præterea nonnulli sunt, qui Alcoholizata (sī ita loqui licet) solent propinare: quæ quidem, copiā, locoque aptis assumpta, prodesse possunt: aliter vero exteriora siccant, nimiosque ad interiora corporis motus cident. Verum dubitare non possumus, quin fibras stringant; quoniam videmus mollissimas corporis partes, inter quas cerebrum jure recensemus, inde dūrissimas firmissimasque reddi. Quin & sudores ferè certò compescit Spiritus Vini, quibus præ nimiâ vasorum laxitate homines aliquando disfluent; imo hinc venit, quod ipsum Vīnum adeo roborare deprehendatur.

Denique fibra debilis sanatur omni modo quo distractio tollitur: quò enim plus distractio minuitur, eo plus contractio angetur; si modò aliquis partium nexus remanserit, ut notissimum est.

Sic equidem hujus morbi Curationem per omnes gradus deduxi; quod quidem, tam Remediorum delectus, quam clarioris doctrinæ causâ, factum est. Simul, in transitu, præcipuos ejus Effectus, quique proximè inde oriuntur, notavi; iisque medendis, summam, quam potui, opem adhibui: sic verò mihi omnino videbar, non modò partes quas suscepseram, utcunque explere, sed & majori sermonis utilitate juvare.

Jam verò si Medicus ita se gerit, resque ægri sinunt, ut plura simul tententur; citius, si quidem id fieri potest, sanatum iri confido: attamen hoc non semper Medico id expertenti datur, & revera nunquam non prudentiam & solertiam res exigit.

Sum verò ordinem secutus in hoc argumento elucidando, qui præmonstratur a Clarissimo BOERHAAVIO in elaboratisimis Aphorismis; utpote qui ad illud intelligendum quam' maximè appositus mihi videbatur: cujus laudes ingenii mei culpâ deterere nolo.

Egregii Viri doctrinæ facultatem consecutum me minimè profiteor, secutum tamen præ me fero.

## F I N I S.